

Quum s. theol.  
professor reg. &  
ordin. Academiae  
Aboënsis, ... dn.  
m. Herma...

Forsström, Simon Pauli

1700-1829 81 Cbza Fo1. 1710  
Ross



National Library  
of Sweden

Quum  
S. Theol. Professor Reg. & Ordin.  
Academiae Aboënsis,

VIR

Admodum Reverendus & Amplissimus  
DN. M. HERMANNUS  
ROSS,

O. B.

Antehac

Rektor Scholæ Cathedralis

Optime meritis

*Publicum docendi munus*

Ritu Sollemni

Die xxxi Mart. A. MDCCLXXI.

Auspicaretur,

*Causa signoque Amoris & Reuerentie*

Gratulabantur

OSTRO BOTNIENSES



Udiit Eusebie mœstas, sua fata, Camœnas  
Auricas, ægro Lucis amore queri;  
Ordine quæ terno dispergere sueuerat  
ignes,

Aut quatuor Facibus lumina ferre sacris.  
Ex his Vna nitens melioribus insita cœlis,  
Clarius æternis itque reditque viis:

Tertia Vermiacis, patrium repetebat vt axem,  
Sidere præfulget lucidiore choris.

Tum Pietas, hæc anne domus, per secula longa,  
Luminibus solitis destituetur, ait?

Plaudite, Phœbus adest, vicino missus olympo,  
Lux mea, qua veniet, læta sit illa dies!

Et simul ad Boream spectans, Eoque signa,  
Heic mihi Phœbeo sidere flamma micat:

ROSS, mea Lux, aderit, surgens felicibus astris,  
Qui teneris agnis, luce præire solet.

Hunc mihi purpureo transducat Lucifer ortu,  
Commuetque suas protinus Iple vices.

Suada, fides, pietas, zelus, sapientia, quævis  
Ex his non dubium vaticinata iubar,

Hunc commendat, ait, faueo: ad mea sacra vocatus  
Pulpita conscendens hæc, feret Ille faces.

Illi, quisquis ades, faustos grataberis ortus;  
Mitis amor, veterum præcipe verba bona.

Tu mihi dicta cohors, hunc excipe plausibus vnis;  
Et, pia sedulitas, præcipe verba bona.

Botnica rura cient gemitus, & sacra querelas,  
Spes vacuasque dolent irrita vota suas;

Altior ast cœli vis hæc decreta volebat,  
Et decreta DEI sollicitare nefas:

Grandius ille Tuis humeris iniungere pondus  
Constituit, mi ROSS: altius ire iubet.

Est aliquid duxisse gregem, qui cæde redempti  
Sanguinea Domini, dux erit ipse, gregis.

Hic labor, hoc opus est: Stygios pressisse chelydros;  
Implexosque Erebi dissoluisse griphos,

Passibus & certis, (feret hæc via multa dolenda )  
Scilicet est aliquid, tata tulisse Ducis.

Plura loquar tacitis intra mea pectora verbis,  
Iam geminans votis publica vota meis:

I pede felici, quo Te bona fata vocarunt;  
Dux erit ille viæ, qui iubet ire DEUS.

Ille dies veniet, qua Te majora tenebunt:  
Hæc feret Æterna Luce beata dies.

S. JONSSON.



Uper in Aonidum formosus scandit Apollo  
Delubrum magnum, conciliumq; vocat.  
Nec mora: conveniunt omnes, adsumq; vocati.  
Pro se quisque datum munus obire cupit:  
Ipse sedet solio gemmis insignis et ostro,  
Resplendent radiis atria longa domus.

Una manus sceptrum fulgens tenet, altera lancem:  
Rex est, sed justus, justitiaeque stator.  
Scilicet haec aequat pretium pensatque laborem;  
Isthoc distribuit premia justa bonis.  
Stant Proceres circum numerosaque turba clientum;  
Quisque Patrocinio vult valuisse suo.  
Dat signum Praeco: jamque est data copia fandi:  
Delius auscultat, quemque timere vetans.  
Ordine dein longo legati vota recensent,  
Et responsa ferunt; nulla querela manes.  
Forte sub egressu, nimium confusa pudore,  
Orla est (o!) tandem nostra Thalia loqui.  
Da veniam, consistite parum, Latonia Protes,  
Castalidum Praeses Duxque Decusque chori.  
Da veniam, consistite parum, non ulla timenda  
Hic mora, sed paucis accipe vota, precor:  
Unde Tibi veniunt isthaec obliviosa tanta,  
Ut prorsus nostri dememuisse velis?  
RUDEEN, noster Amor, postquam haec tua rura reliquit,  
Saxa cient lacrymas, et nemus omne gemit.  
Quid differs ultra? jam jamque medere dolori.  
Abreptum teneas; sed modo redde parem.  
Expectant taciti Patres doctaque Sorores,  
Expectant reliqui iussa verenda DEI.  
Exclamat Phœbus: cur haec vos cura moretur?  
ROSS meus obsequium praestat abunde mihi.  
Applaudunt omnes vocesque ad sidera tollunt,  
Doctisque novo Fata benigna vident.  
Ergo, age, rumpe moras, quid cessas? scande cathedram  
Ad quam Te invitat grandior ordo Sophum.  
Letus adi Spartam, sic Princeps mandat, honoris;  
In Te sic noster sit redidivus Amor.  
Si quid vota valent, si quid meus Augur Apollo,  
Spondeo: Te posthac ulteriora manent.  
His frui interea sopes, dumque illa parantur,  
O! nostri vigeas Duxque Paterque gregis.

E. ASPUND.



Rangere quem nequit, series immensa laborum,  
 Quem madidus liquor, calido de pectore fumans  
 Sæpe fatigavit, sacrum cum fundere nectar  
 Pieridum teneræ gestit cum laude cohorti,  
 Quem dignum fertis jam quondam fecit Apollo,  
 Cui favet indoctum vulgus, doctæque Camcenæ,  
 Quem dudum pietas & quem prudentia simplex,  
 Finxerunt totum multo conamine ad unguem.  
 Ille hodie, docta merito plaudente corona,  
 Præficitur Phœbi laribus, longo ordine laudum  
 Insignis, pariter nostris tollendus ad astra,  
 Carminibus, dulces nimia si Phocidos undæ  
 Aonii fontesque fiti mea labra levassent:  
 Sed tamen haud decuit, quamvis mea Musa minora  
 Molitur multo meritis, quin gratus adessem,  
 Cumque nihil possim majus, tibi vota dicarem.  
 Vive igitur felix, posthac Tibi lenius anni  
 Currant, o! nostræ Regionis fulgida Stella!  
 Te, Numen Summum, supplex semperq; rogabo,  
 Incolumem hunc servato Virum, quo sospite nunquam  
 Aonides sanctæ tristes sua damna querentur.  
 Vive viresque valeque diu Venerande PROFESSOR!

J. BRENNER;



Os licet ipsa sibi sit virtus neve requirat  
 Præmia, qui illius totus amore calet.  
 Non mercede tamen proprios defraudat alumnos,  
 Quin etiam inviti præmia digna ferunt,  
 Ejus enim quisquis fidus vult esse satelles,  
 Sedulus haud refugit tristia quæque pati.  
 Hunc non arcet honos aditu; nec ab æde repellit;  
 Ast inter summos evehit usque viros.  
 Hic quis non læto testetur gaudia vultu,  
 Cum videat palmam sic decorare bonos?  
 Exultat quantis Academia læta triumphis?  
 Quod ROSS tam fausto præmia justa capit.  
 Adstat ovans cœtus, lugens hic adstat & alter,  
 Quod nunc Doctorem mittit hic, ille capit:  
 Sed ne conturbet nova gaudia luctus inanis;  
 Sis bene venturus! vive! valeque diu!  
 O Patriæ Decus, O Telluris Gloria nostræ,  
 Botnia, utut doleat, quod Sibi plaudat, habet.  
 Sed faveant superi, sed dent Tibi plura rogatis,  
 Vix reor hæc tanti meta laboris erit.  
 Interea maneat felix, sintque hæc Tibi fausta,  
 Quæ jam virtutis clara Trophæa tenes.  
 Majori posthac exemplo forte docebis,  
 Quantum sit studiis invigilasse bonis.

I. GRANDELL.

\*\*\*